





1766, 1  
20

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IVRIDICA

DE

MORVM AD LEGES ROMANAS  
HABITV AC RELATIONE,

QVAM

MAGNIFICO VNIVERSITATIS RECTORE

PRAENOBILISS. AC CONSULTISSIMO

DN. RVDOLPHO CHRISTOPH.  
HENNE IC<sup>TO</sup>,

FACULTATIS IVRIDICAE ET IUDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSES-  
SORE, AC IVRIS FEVDALIS ET CODICIS PROFESSORE

PUBLICO ORDINARIO,

ANNVENTE ILLVSTRI ICTORVM ORDINE,

PRAESIDE

HERMANNO ERNSTO RVMPEL

I. V. D. ET PROF. PVBL. NEC NON GYMN. SEN. DIRECTORE,  
IMPER. ACADEMIAE NAT. CVR. SOC. ET BIBLIOTHECAR. AC ELECTOR.

MOGVNT. ACAD. SCIENT. AB EPISTOLIS

IN PERANTIQVA HIERANA

D. II. OCTOBR. MDCCXLVI.

H. L. Q. C. PVBLICE TVEBITVR

ADAMVS FRIDERICVS CHRISTIANVS REINHARDT

ERFVRTENS. I. V. CVLTOR.

ERFORDIAE, TYPIS NONNIANIS, ACAD. TYPOGR.

Chr. Reinhardt.  
Henne

Demorum ad leg. Rom. habita.



DISSESTITIO JURIDICI

.32.

MORVM AD ILLICCS ROMANAS  
HYBLIA AC REVITIORE

EXAV

MANNUCO LUDVICO LECOTORE  
ANTONIO DE CONSALVIA MUSICO

DN RUDOLPHO CHRISTOPH  
HENNE IC 10

SACRATISSIMA QDQVA ET ILLICCS MUSICO LUDVICO  
POEM, AC SONGA TUTERIUM ET COMITES PROSTATORIO  
THEATRO CONSALVIO

ANNIVERSARIATU ET HISTORIAM CLOVID  
KAYSAIDE

HERMANO HENRICTO LAMMEL

LAUDS, ET CANTUS, ZEDONI CONCERTI, BIBLIOTHECA  
GOTHIC, ET TUTERIUM, ET MUSICO LUDVICO  
IMMENS, ETC, TUTERIUM, ET MUSICO LUDVICO  
MUSICO, ETC, TUTERIUM, ET MUSICO LUDVICO

IN HENRICI A HERMANI

DE CANTO, MUSICO LUDVICO

ET CANTUS, ZEDONI CONCERTI, BIBLIOTHECA

GOTHIC, ET TUTERIUM, ET MUSICO LUDVICO

IMMENS, ETC, TUTERIUM, ET MUSICO LUDVICO

MUSICO, ETC, TUTERIUM, ET MUSICO LUDVICO

REVERENDISSIMO  
ATQVE ILLVSTRISSIMO DOMINO  
DOMINO  
CAROLO WILHELMO  
IOSEPHO ADAMO  
SACRI ROMANI IMPERII LIBERO BARONI  
DE BREIDBACH  
IN BVRRESHEIM

ECCLESiarum, METROPOLIT. MOGVNT. ET EQUESTRIS S. AL-  
BANI PROTE MOGVNTIAM, VT ET INSIGNIS COLLEGIAE AD  
S. VICTOREM CANONICO CAPITVLARI, EMINENTISSIMI  
ARCHIEPISCOPI ET PRINCIPIS ELECTORIS MOGVN-  
TINI ET CELSISIMI PRINCIPIS EPISCOPI  
WVRCEBVRGENSIS CONSILIARIO INTIMO  
GET.

VRBIS AC TERRITORII ERFVRTENSIS  
PROPRINCIPI J  
DOMINO AC MAECENATI  
INDVLGENTISSIMO  
FELICITATEM PERENNEM.

REVERENDISSIME ATQVE ILLVSTRISSIME  
ATQVE ILLVSTRISSIMO NOMINO,  
DOMINE,

MAECENAS INDVLGENTISSIME!

CAROLO WILHELMO  
JOSEPHO ADAMO

SACRI ROMANI IMPERII IMPERIO RAROIN

DE BREIDBACH  
IN BARRESHEIM

DEGENSBERGUM, MULDENSITATE, MULDENS  
BANI, BORNE, MOONHAY, ET DE LINTHUS, COHEREDATORE  
ET ALLEGORIIS, CHARMING, CERTELLA, RUMINANTIA  
ALCHYMISTICIS, ET TINCTORIS EROGATORIS MOSAIC  
TINI ET CERTELLINI TINCTORIA ELEGANS  
MAGICKALCOPOMIA SCHILLERIUS INTIMO  
QED.

**L**eues haec pagellae, quas ILLVSTRISSIMO NOMINI  
TVO sacras esse volo, in tali versantur argumento, quod  
Summorum hominum personis, felicitati reipublicae ad summum  
fastigium prouchendae inuigilantibus, non plane indignum esse  
videtur.

LELIGITATEM PREMENNEM Morum

Morum nempe cum legibus cognitionem delineare institui,  
quae adparer in Legibus ac institutis illius Populi, cuius res ge-  
stae et cuius magnitudo quemuis in maximam admirationem ac  
stuporem rapiunt.

Haec mutua relatio tam late patet, ut fere vbius in studio  
Iuris Romani occurrat, quum mentem non ad ea solum, quae  
sunt in facto posita, sed simul ad rationes, quibus ducti Legum-  
latores suas leges rogarunt, aduertimus.

Illud profecto studium utilissimum est iudicandum, quod  
humanae mentis ac voluntatis naturam, illiusque latibula quasi  
inuestigat, quodque vires, quibus impellitur ac mouetur, dete-  
git; quamvis enim sub infinitis paene formis delitescat animus,  
quas vel a saeculi more vel a Nationis consuetudine vel aliunde ad-  
sumit; haec tamen nebulae, quibus inuoluitur, ferio et maturo  
adhibito studio dispelluntur ac euanescunt. Tum autem, quum  
mens humana talis conspicitur qualis reuera est, facilime et com-  
modissime ad utilitatem publicam traduci atque applicari poterit.

In hoc TVA Mponis gloriam, INDVLGENTISSIME  
DOMINE! vt saluti publicae optime prospicias. Praestantis-  
fima TVA virtus, quam summa regit sapientia, quamque probatis-  
fima comitatur prudentia TIBI nullum aliud, quam felicitatis Po-  
puli, TVO amori paterno concrediit stabiliendae atque amplifi-  
candae

candae desiderium inspirat; unitae igitur populi preces felicitatem  
TIBI, ILLVSTRISSIME DOMINE, sumiam et con-  
stantissimam, vitaque TVAE omnibus tam carac ad extremum  
usque mortalitatis terminum promotionem a *Numine* efflagitant.

Haec quoque summa est votorum meorum, cui si, pro  
maxima TVA indulgentia, summum TVVM fanorem ac  
Praesidium adiicere volueris, tum quidem me maxime beatum  
esse duxerim

**ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO**

DEVOCTIONE SVBMISSA DEVINCTISSIMVS

HERMANNVS ERNESTVS RVMPEL.



## CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- §. I. **D**e mutationibus in orbe physico & morali generatim.  
§. II. Legum mutationes. Ad rationes, quibus leges mutantur, mores quoque pertinent.  
§. III. Quomodo Legislator moribus populi vtatur.  
§. IV. Romæ mores multum in republica efficere potuerunt;  
§. V. VI. Qui autem primis temporibus fuerunt feri, at a Romulo quodammodo in ordinem redacti.  
§. VII. De Numa Pompilio.  
§. VIII. Seruii Tullii instituta. Lapsus morum sub Tarquinio, corumque restitutio libera republica.  
§. IX. Ius a Græcis petitum cum moribus combinatum.  
§. X. XI. XII. XIII. Disputatio Cæcili & Fauorini de legum xxi. tabularum rigore.  
§. XIV. De iure necandi liberos.  
§. XV. Legis actiones, actusque legitimi, stipulatio & mancipatio ex morum simplicitate & rigore fluunt.  
§. XVI. De rebus mancipi earumque natura opinio auctoris.  
§. XVII. Ius prætorium ex moribus magnam partem haustum.  
§. XVIII. Virtutes Romanorum, primis præcipue temporibus.  
§. XIX. Contentiones inter patres & plebem agitatæ & creditorum durities moribus damno fuerunt.  
§. XX. Nec non agrariae turbæ.

§. XXI.

§. XXI. In primis vero luxuria.

§. XXII. Censores de moribus corrigendis solliciti.

§. XXIII. Corruptio morum Romæ omnia peruersit.

## ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

1. Quamvis Celeb. de Montesquicū recte formam & constitutionem rerum publicarum a principio mouente cuiusque reipublice distinguat, minus tamen recte solius democratis ac aristocratis principium esse virtutem, monarchia honorem, ac despotismi metum statuit.
2. Despotismus nulli peculiari formæ resp. est adfixus.
3. In omnibus rebus in dubio maior æquitatis quam stricti iuris debet esse ratio.
4. In l. 8. §. 5. D. de in offici. test. rationes allata: *quia pater ei hoc fecit, & quia filii testamentum est*; ita sunt conciliande, ut prior de eo casu valeat, quo, filio premortuo, patri succeditur. Alias hæc lex erit anceps & eluforia.
5. Usufructuarius est possessor naturalis.
6. Agnatorum appellatione etiam sui comprehenduntur.

§. I.



S. I.

**Q**uærere naturalium rerum studiosi solent, qua ratione globus, quem inhabitamus, inæqualem suam variamque, quam hodie conspicimus formam nactus fuerit? Alii minimam olim eius partem solidam fuisse & per exsiccationem reliquas demum partes ex vndis emersisse contendunt, alii continuam marium promotionem, alii inundationes, terra motus cet. harum varietatum caussas esse ajunt. At in tam vasto corpore ex partibus maxime diuersis composito, tamque innumeris subiecto mutationibus, vnicam tantum vel paucas adferre mutationum rationes, mancum ac plane insufficiens

A ficiens

ficiens esse videtur. Tota quidem haec moles, quam oculis cernimus, simplicissimis ac generalibus adstricta est legibus, illæ autem quum applicantur, tot subeunt vicissitudines, ut sibi plane repugnare videantur, quum tamen perfectissima semper harmonia conspirent. Qui nationum inter se nexus ac infinitas rerum publicarum formas intuentur, non minori abripiuntur admiratione, quum in maxime complicatas mutationum rationes inquirunt. Heic veterum gentium migrationes aliarum nationum formam, ita ut inundationes fundi faciem, immutarunt, heic saepè internis concussionibus, quæ eminebant, obruta, que latebant in lucem eiecta fuerunt; imo heic certus quidam conuersiōnē orbis, quem acutissimus **POLYBIUS** <sup>1)</sup> in historiarum monumentis obseruatum delineauit, saepè conspicitur. In rebus quidem moralibus aequæ ac in physicis generalis scripta est lex, quæ omnia impulsum & directionem virium maiorum sequi iubet. Sed qui fiat, ut saepè exigua vis augeatur & insensibili incremento ad tantam mollem exereat, ut reliquas omnes longe superet, utque e contrario vires maiores ab aliis, quæ debiliore evidentur, impedianter, aliae vero in se non magni momenti perpetua libertate agant & ad maiora ferantur, id quidem ex totius nexus cum omnibus suis partibus intelligi debet, quum autem prima rerum initia in obscurō plerumque lateant, id conjectura magis attingi, quam distincte explicari potest.

enī mīlo mīnūmū illā. S. II.

Quemadmodum in rerum publicarum formis, ita etiam in earundem legibus varie mutationes sese excipiunt. Mutata enim reipublicæ forma leges, quæ statum eius publicum respiciunt, non possunt non etiam mutari; & quum status priuatus publicum sequatur, leges quoque ad priuatorum res pertinentes quasdam in se admittre mutationes debent. Rationes, quibus leges ciuiles

<sup>1)</sup> Lib. VI. pag. 451. seqq. edit. Cesaub.

les reguntur & quibus immutantur sunt omnino aut physice aut morales. Neminem fugit, corporum naturam, celi temperiem folique cultum magnam in legibus suadendis aut abrogandis vim habere. Nemo quoque inficias ibit, statum hominum moralem, eumque tam a natura insitum, quam ex variis factis & conditio-  
nibus ortum & eius varia genera ac species in legibus condendis multum valere. Ad has igitur conditiones mores populi vel in primis sunt referendi. Mores sunt cuiusdam populi normæ agentes, que ex idea bonitatis actionum, quam sibi populus ille format, fluunt. Bonitas autem actionibus tribuitur vel interna (eaque vel quatenus ponitur obligatio perfecta, tunc actionum bonitas refertur ad illius gentis ius naturæ, vel imperfecta, tunc ad ethicam eitis pertinet) vel externa, tunc ad politicam refertur. In ritibus quoque mores spectari possunt, si ratio cogitandi, ex qua ritus fuerint orri, consideretur. Quemadmodum leges ab expressa vel tacita legislatoris voluntate pendent, ita mores a natione in genere spectata sunt introducti. 2) Id, quod est in more possum, ex unius plerumque hominis actione proficiuntur, cui tam evidens bonitatis honestatis atque virilitatis species inerat, ut eam alii imitarentur, ac denique omnes tanquam normam agentes adsciscerent.

## §. III.

Non omnibus gentibus eadem honesta & pulera videntur, neque idem est omnibus de rerum virilate iudicium; gens, que ingenii facultates non excolluit, vnicorū corporis agilitati intenta, rigidos & simplices obseruabit mores, que vero rationis usu præcellit, optimis erit moribus imbuta; que denique ingenium tantum, sensus, eorumque illecebras & voluptatem sensibus percipiendam sequitur, luxuriosis moribus diffuet. Hoc plerumque ordine nationum mores sese excipiunt, ut primo sint impoliti ac

A 2

rigidi,

(2) Vid. Montesqu. Esprit des Loix lii, XIX, ch. 14.

rigidi, mox emollientur & instam rationem teneant, quum vero mens humana modum diu obseruare nequeat, mores gentis mox ad luxuriam vitiaque properant. Germanos laudat **TACITVS**, apud quos *plus bonos mores valuisse, quam alibi bonas leges refert* 3). Moribus autem, quos saluti reipublica proficios esse perspicit legislator commodissime viritur ad leges utilissimas ferendas, de qua- rum adequatissima obseruatione ne vnum quidem momentum dubitare poterit, quum subiecti non tam legem, quam suum sequi genium videantur, & quod quis libere agit, id fere bene cedere soleat. Quum vero mores saluti reipublica repugnant, maxima in iis corrigendis vel plane tollendis opus est prudētia; quemadmodum enim non uno actu, sed sensim ac pedetentim sunt orti, ita quoque sensim destrui debent, ac hominibus ab ineunte etate eiusmodi preecepta instillari, que ipsos a peruersis moribus abstractant, & eorum loco meliores stabiliant. Incongruum omnino foret, mores prepropere legibus extirpare, quum longe paratus adhuc iis corrigendis remedium, niempe exempla in conspicuo loco posita, que contrarios mores sensim inuehere possunt; quan- tum enim in legibus ferendis valent proposita præmia, quum ea, que iubentur, diligentiam requirant, & quantum efficiunt in actionibus vitandis poenæ 4) tantum in moribus emendandis illustrum exemplorum valet auctoritas.

#### §. IV.

Quum mores ab opinionē boni, honesti & utilis, quod aetio- nibus quibusdam insit, pendeant, opinio vero, si fuerit erronea, mutationi facile sit obnoxia, &, quamvis vera, tamen mutata rei qualitate vel dilabente temporaria eius vilitate statim quoque eva- nescat, hinc mores in rebus publicis receptos siue mutatos esse & legum quoque non leuem mutationem generasse, nemo mirabi- tur.

3) de mor. Germ. Ic. 19. 4) von Justi Policiey Wissenschaft Cap. 30 S. 437.

tur. Romana in primis res publica luculenta huius rei documenta suppeditat. Hinc Cicero 5) ante suam memoriam, ait, & morem ipsum patrum prestantes viros adhibuisse & veterum morem ac maiorum instituta excellentes viros retinuisse. Idem proinde 6): *Si que leges, inquit, forte hodie a me rogabuntur, que non sint in nostra republica, nec fuerint, tamen erant forte in more maiorum, qui tum ut lex valebat; vbi enim consuetudo aliqua publicam obtinere auctoritatem cepit, ignoto primo eius inuentore, is mos maiorum dictus est 7) & sane eius vis æque late ac legum expressarum valor patet, teste enim Juliano 8) æquum est, quod ipsæ leges nulla ex alia causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptæ sunt, merito & ea, que sine ullo scripto populus probauit, omnes tenere.*

### §. V.

Reipublicæ Romane fortunam extollit Liuius 9): *nulla unquam res publica nec maior nec sanctior nec bonis exemplis dicitur fuit, nec in quam tam seræ avaritia luxuriaque immigraverint, nec vbi tantus ac tamdiu paupertati ac parsimonia bonos fuerit; adeo quanto rerum minus tanto minus cupiditatis erat.* At hæc laus ad prima Romanorum tempora trahenda non videtur; primi illorum mores fuerunt, rapto viuere, qua in re minus justitiam, quam audaciam & imperii magnitudinem querendam spectabant. Hoc jam fuit Romuli Remique ante urbem conditam exercitium, in latrones predatores impetus sacre pastoribusque raptâ diuidere, quæ Iatrocinandi terraque adquirendi cupido usque adeo Romanos infedit, ut non nisi orbe terrarum ab ipsis subacto quiesceret. Romulus ut urbem a se conditam hominibus impleret, aperto asylo omnem ex vicinia hominum perditorum colluviem ad se pellexit, quæ noua cluitas in medio hostium posita bello ciues, uxores &

A 3

terras

5) lib. III. de LLbus.

6) I. III. de LLbus.

7) Sigan. de ant.

iur. Ital. Part. I. pag. 66.

8) I. 32. §. I. D. de legibus &c.

9) Lib. I. præf.



terras sibi quærere cogebatur, & tantum habebat, quantum rapere poterat. Sed quum iustitiae tanta vis sit, ut ne illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine villa particula iustitiae viuere. & quum etiam leges latronum esse dicantur, quibus parent, quas obseruent 10), hinc Romulus de ordinanda institutis sua republica omnino sollicitus fuit, eaque non tam in scriptis propriis, quam moribus tradidit ac posteris quoque seruanda reliquit 11) Sed prudenter in iis genium nouorum ciuium securus est, tantam iis concedens tam domi sua, in qua fere maiestatem domesticam exercebant, quam in republica administranda potestatem, ut parum de naturali suo jure concessisse ciuii societati viderentur; patribus enim familias dominium in liberos dedit, quod tria demum venditione solueretur, adeo ut vita & libertas in parentis potestate esset & liberi a teneris vnguiculis rigori discipline Romanarum adsuefierent. Idem republica in tribus curiasque descripta ciuiibus jus suffragii in comitis dedit, & ne haec libertas in effrenatam degeneraret licentiam, senatum instituit, eumque plebis esse patronum, seu potius obseruatorum, qui plebem in officio contineret, esse jussit. Ut autem mores ciuium mansuetaret & perpetuo suos labore exerceret, sellularias artes seruis ac peregrinis relinquens, quippe quas corpus frangere animumque militare in opprimere putabat 12) agriculturam ciuiibus commendauit; hinc agricultura maximo semper in honore fuit, illique grauiter puniti, qui agricolam laederent, quo spectat lex, que Numa adscribitur apud FESTVM 13): denique *Numa Pompilius statuit, eum qui terminum exarasset & ipsum & boves sacros esse:* Summi quoque viri aetatem suam in opere rusticō consumserunt 14), qui ab arato ad duendas legiones vel ad administrandam rem publicam vocati, se tam  
vomeri

10) Cic. de off. II. 11. 11) Dionys. Halic. lib. II. pag. 120. 12) ib. p. 137. de legibus Romuli vid. Confut. SCHORCH, sautor maxime colendus in hist. Iur. cap. I. §. 15. 13) in voce termino. 14) Cic. in Cat. mai. c. 16.

vomeri vērtendo, quam fundendis hōstium turmis aptos esse, docuerunt.

§. VI.

Feminarum quoque mores ut essent casti ac sobrii, Romulus prouidit; hinc vinolentia ac stupro grauissimas pœnas statuit. Gellius <sup>15)</sup> mulieres Romæ ac in Latio per omnem etatem vino abstinuisse tradit, & Athenaeus <sup>16)</sup> apud Romanos nec feruos [hi enim aqua acero mixta vrebantur <sup>17)</sup>] nec ingenuas mulieres, imone adolescentes quidem ante trigesimum annum vinam gustasse prohibet. Si vero pudicitiam violasset vxor, marii arbitrio permittebatur, causa cum propinquis cognita. Gellius ex Catonis oratione de dore refert <sup>18)</sup>, in adulterio deprehensas vxores jus suisce maritis necare, *Vir, inquit Cato cum diuortium fecit mulieri judex pro censore est, imperium quod videtur habet; si quid peruerso terre que satium est a muliere, multatur, si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid facit, condemnatur.* Cædem cuiusque generis parricidii nomine complexus est Romulus, eadis parentum autem ne ullam quidem mentionem fecit, negans fieri posse, ut quis tam horrendum facinus admisteret <sup>19)</sup>. Quum Romanis semper fuerit aduersus finitimos pugnandum, tanta fuit illorum pertinacia, ut clade quadam adfecti animos nunquam demitterent, sed potius erigerent & maiora postularent, quo factum, ut non nisi cum vieti hostibus pacem inirent. Victos in ciuitatem recipere consuevit Romulus & in locum eorum colonias Romanas more & ritu Etrusco, quo frequenter etiam in aliis rebus usus est <sup>20)</sup> deduxit, quidquid etiam morum apud alias gentes reperiret, quod suæ reipublicæ prodesse posset, in eam lubens recepit, & sic miscendo Ro-

<sup>15)</sup> noct. Attic. lib. X. c. 23. <sup>16)</sup> Deiphilosoph. l. X. c. 7. p. 429. B. edit. Caſaub.

<sup>17)</sup> Barthii adulſ. lib. VII. p. 327. <sup>18)</sup> loc. cit.

<sup>19)</sup> Siginus de ant. Iure Rom. p. 2. L. 2, c. 31. <sup>20)</sup> Liv. lib. I.

c. 8. Varro de ling. lat. lib. IV. pag. 24.



mana peregrinis vnam reipublicæ compagem effecit. Hoc Romuli institutum CICERO 21) maxime laudat; illud vero, aiens, sine dubitatione maxime nostrum fundavit imperium & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille creator urbis Romulus fædere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc ciuitatem oportere, cuius auctoritate atque exemplo nunquam est intermissa a maioribus nostris largio & communicatio ciuitatis. Sic Romulus rempublicam optimis institutis instruxit mori suorum ciuium accommodatis, quem ramen ad ordinem & mansuetudinem deducere omnem operam dedit; quum vero ultimis temporibus rationem cogitandi moresque suorum ciuium laederet cosque seruitus jugo subicere tentaret, non modo nihil perfecit, sed & tempestate oborta e medio, ut creditur, sublatus fuit 22).

### §. VII.

Reliqui Romanorum reges magni ingenii ac virtutis homines fuerunt, qui suis consiliis ac fortitudine rempublicam maxime iuuerunt. Semel enim jaëtis fundamentis ita erat comparata reipublicæ ratio, ut magni in ea viri exsistere & optima relinquere institutione atque exempla possent. Numa ex tristibus ac tetricis Sabinorum & Etruscorum moribus complura in instillanda Romanis religione hausit, multa etiam ex proprio ingenio, siæ consuetudine cum dea Egeria, addidit, quibus mores, ciuium feros emolliret & sue reipublica forme attemperaret. Qui statuunt, Numam Pythagoreæ philosophiae dogmata adoptasse, temporum rationes misere confundunt, quum, teste Livio 23) Pythagoram Samium, Seruio Tullio regnante Romæ, centum amplius post annos in ultima Italiae ora circa Metapontum Heracleamque & Crotona juuenum emulantium studia cœtus habuisse constet. Ex quibus locis, eisq; eiusdem etatis fuisset, qua fama in Sabinos aut quo lingue commercio quemquam ad cupiditatem discendi exciuisset? quoue presidio unus per tot gentes

21) pro Balbo c. 13. 22) Liv. lib. I. c. 16. 23) lib. I. c. 18.

¶

diffinas sermone moribusque peruenisset? Cumulat sine necessitate difficultates Liuius, quum iam sufficere videatur temporum, quibus Numa & Pythagoras vixerunt disparitas; quod enim ad linguarum morumque diuersitatem attinet, ea sane olim apud populos Italiz non erat tanta, imo ne a græca quidem lingua adeo differebat latina, ut plane nullum commercium vni populo cum altero esse posset 24) ipse quoque Pythagoras ad alias gentes ab ipsis patria remotores moribusque magis dispares commigraverat 25). Quum itaque temporum ratio obfet, quominus Pythagorica dogmata Numæ tribuere queamus, utriusque tamen sententiae, inter quas non leuis intercedit similitudo, ex uno forsan fonte nempe veterum gentium communis more profluxerunt.

S. VIII.

Quum a Romulo introducta æqualis bonorum partitio diu subsistere non posset, imo ab ipso Romulo, instituto patrum ordine esset labefactata, inæqualitas bonorum ac conditionis Romæ adeo crevit & moribus inualuit, ut Seruius Tullius rex, incommoda inde enata perspiciens, populi aliam diuisionem, quam quæcum erat in tribus & curias, introducere deberet, nempe in classes & centurias, qua æqualitas ciuium pro portione possessionum stabiliatur, & quo quis esset dñior, eo non modo ampliori loco ac dignitate in republica esset, sed eo etiam plus oneris communis in se fusciparet. In curiatis enim comitiis suffragia numerabantur in centuriatis ponderabantur; qui ciues in prioribus erant locati classibus, plus tributi conferebant, & militiam obibant, quum ipsorum bona tanquam fidei pignus reipublice obstricta tenerentur.

B

Hac

24) vid. quæ acute de linguarum originibus disputauit Maupertuis in Mémoires de l'Acad. des Sc. de Berlin ann. 1754. pag. 349. & de origine latinæ Foncius de pueritia lat. ling. cap. I. vid. quoque Michaëlis dissert. de l'influence des opinions sur le langage &c. 25) vid. lac. Brucker histor. philos. pag. 76.



Hac populi diuisione fundamenta jacta sunt magnæ populi potentia, quæ primis reipublicæ liberæ temporibus maximas vires accepit. Mores deinde sub Tarquinio superbo in peius ruere, in bello fraude magis, quam consilio & virtute res geri, nobilis Romana iuuentus magis ad desidiam luxuriamque, quam ad fortitudinem easque artes, quibus res Romana tam subito creuerat, spectare, euerisque mores ipsam reipublicæ formam euertere. At hac felicitate vſa est Romana resp, vt se ipsam suaque virtutis politica ſepe emendaret, & non raro violentis quoque & duris remediiſ sua vulnera curaret. Exactis regibus Brutus veterem genium militarem, morumque feueritatem in animos hominum reuocasse videatur. Quum iuuenes Romani atque in iis ipſi Bruti filii pristinum reducere statum conati eſſent, filiorum cum reliquis supplicium non modo pater decreuit, sed etiam eminenti animo patrio inter publica pena ministerium fuit. Immanitas potius dicenda eſſet quam virtus, hæc Bruti feueritas, at rudis populi, cui legum metus incutiendus, cui amor patriæ summus erat inſigndus, hic rigor quamvis limites egressiſ animos vehentissime commouit. Brutus collega Valerius lata lege de prouocatione ad populum magis deinde increſcentem populi poreſtatem firmauit. Postea Roma vidit Scœolas, Fabricios, Regulos, Fabios, Catones aliosque viros, qui quaſi Stoicis eſſeat innutriti disciplinis, moribus suis rigidissimis ipſos Stoicos longe ſuperarunt. Inde rigor ille juris Romani antiqui & eius simplicitas, quæ in primis in LLbus XII. tabularum conficitur.

#### §. IX.

Exactis regibus omne eorum imperium ad consules redierat, qui in iudicando magis mores populi & proprium arbitrium quam latus a regibus leges fuit ſecuti 26.) Quum igitur ius maxime eſſet incertum nimiaque videretur plebi consulū poreſtas, a fe-

26) Pomponius in I. 2. §. 3. π. de Origine Iuris.

in postulauit ut communi patriciorum plebisque consilio nouæ leges de potestate consulum ad iustos fines redigenda sancirentur. Diu restiterunt Patres, donec tribuni plebis posita ira & peruicacia ad mansuetudinem precesque veri patres exorarunt, ut leges, de quibus inter ipsos conuenire non poterat, ab exterris nationibus paterent. SCro itaque condito coique plebiscito confirmato missi a. V. CCC. in Græciam tres legati Sp. Postumius Albus, Sextus Sul-pitius & A. Manlius, qui ex Græcis vrbibus optimorum fama institutorum florentibus leges colligerent, easque ut reipublice suæ formæ adcommodarentur Romam transferrent 27), qua in re perficienda Hermodori Ephesii Philosophi tum forte in Italia exulantis & ob excellentiam virtutis patria pulsi, *nemo*, scriptum enim apud Ephesiōs erat, *de nobis unus excellat, sed si quis extiterit alio in loco & apud alios sit* 28) insigni opera vii sunt 29), qui Decemviris legum scribendarum causa creatis sententiam ac rationes legum explicauit, ac proinde statua a Romanis publice posita honoratus fuit 30).

## §. X.

Hæ leges XII. tabb. quas Liuius 31) ait in immenso aliarum super alias aceruatarum legum eumulo adhuc esse fontem omnis publici priuataque juris, eti fuerint maximam partem e iure Greco depronata, multa tamen simili ex moribus patriis retinuerunt, & vbique simplicitatem asperitatemque illorum temporum spirant. Sic iura patriæ potestatis & sanctitas patronorum in illis denuo stabiluntur. Iustinianus 32) leges XII. Tabul. simplicitatem legibus amicam amplexas esse profiterur. Quod autem ad illarum rigorem attinet elegans est apud Gellium 33) **SEXT. CAECILII ICTI & FAVORINI philosophi disputatio**, hoc leges XII. tabb. quasdam

B 2

ini-

27) Dionys. Halic. lib. X. cap. 13.

28) Cic. Tusc. V. 36.

29)

Pompon. in l. 2. §. 4. D. de O. I. 30) Plinius Hist. nat. lib. 34. c. 5.

31) Lib. 3. c. 34. 32) §. 3. I. de legit. agn. succ. 33) Lib. 20. cap. 1.



iniquitatis, duritiae immo immanitatis, quasdam vero nimia mollitiae  
 accusante, illo autem haec obiecta vitia summo studio diluere nitente.  
 Ita enim Noli, inquit FAVORINVS, ex me querere, quid ego  
 existimem scis enim solitum esse me pro disciplina sancte, quam  
 colo, inquirere potius, quam decernere. Sed non leuis est existi-  
 mator neque apernabilis est populus Romanus; cui delicta qui-  
 dem isthac vindicanda, penae tamen huiusmodi nimis dure esse  
 vise sunt. Passus enim est leges istas de tam immodico supplicio  
 situ atque senio emori, sicut illud quoque non humaniter scri-  
 ptum improbabuit: quod si homo in ius vocatus morbo aut aetate  
 aeger ad ingrediendum inualidus est, arcera non sternitur, sed ipse  
 auferitur & iumento imponitur atque ex domo sua ad praetorem  
 in comitium noua funeris facie effertur: quam enim ob causam  
 morbo adfectus & ad respondendum pro se non idoneus iu-  
 mento adhærens in ius aduersario deportatur? Cui responderet  
 SEXT. CAECILIVS: "Nec ideo contemnas legum istarum antiquita-  
 tes, quod plerisque ipsis iam populus Romanus vii desuerit.  
 Non enim profecto ignoras legum oportunitates & medelas pro tempore  
 rum moribus & pro rerum publicarum generibus ac pro utilitatibus prae-  
 sentium rationibus proque viitorum, quibus medendum est, seruori-  
 bus mutari atque flecti, neque uno statu confidere, quin ut facies cali-  
 & maris ita rerum atque fortuna tempestaribus varientur. — Deinde  
 humanitatem legis decemuiralis; si in ius vocat: si morbus  
 aevitasve vitium escit. qui in ius vocabit ivmentum dato; si  
 nolet arceram ne sternito. defendit; neque enim morbo heic de-  
 notari aggrationem grauen cum febri rapida aut periculo vite con-  
 iunctam seu morbum sonricum, sed vitium aliquod imbecillitatis  
 quod non impedit, quo minus quis vectabulo quodam, quod ad-  
 iunctis pecoribus trahebatur & a iungendo iumentum dicebatur,  
 ad locum iudicii perduci posset, licet commoditatibus ipsius non esset  
 arcera seu plastrum virgine recto & munito quasi arca quadam  
 magna vestimentis instrata prospectum, quem iam satis esset inua-  
 lido

lido qualemque vestabulum. Idque sanctum esse ait, ne caussatio ista egris corporis perpetuam vacationem daret fidem derelictibus jurisque actiones declinantibus. Sed remanere tamen aliquid inhumanitatis videtur, hominem, qui aegrum trahit corpus vehiculio imponi & ad locum iudicii rapi, quod ex ea morum simplicitate fluxisse videtur, qua quilibet praesens in iudicio comparere iubebatur, nec sua negotia per alium gerere cuiquam licebat,

## S. XI.

Mollitatem legum XII. tabb. quoque incusat FAVORINVS:  
 nonne tibi videtur nimis esse dilurum, quod ita de iniuria punienda scriptum est? ST INIVRIAM FAXIT ALTERI, VIGIN-  
 TI QVINQUE AERIS POENAE SVNT. Quis enim erit tam  
 inops, quem ab iniuria facienda lubidine viginti quinque ases  
 deterreant? Itaque quum eam legem Q. Labeo quoque vester in  
 libris, quos ad XII. tabulas conscripsit, non probaret, quidam,  
 inquit, Lucius Veratius fuit, egregie homo improbus atque im-  
 mani recordia, is pro delectamento habebat, os hominis liberi  
 manus sue palma verberare, cum seruus sequensbatur crumenam  
 plenam assium portitans, & quemcumque depalmauerat, nume-  
 rari statim, secundum duodecim tabulas, viginti & quinque ases  
 iubebat; propretra, inquit, Praetores postea hanc penam abolescere  
 & reliqui censuerunt, iniuriisque astimandis recuperatores se da-  
 turos edixerunt." SEXT. autem CAECLIVS non omnes omnino iniuri-  
 as sed leuiores tantum hoc modo punitas esse ait, hanceque ipsam  
 assium paucitatem graue pondus aeris fuisse, quae quantitas si  
 ad paupertatem Romanorum tempore conditarum LLm. XII. ta-  
 bularum exigatur, sane non adeo est exigua, ut quemuis ad alium  
 pro lubidine laceſſendum inuitare potuerit. At in eo simplicita-  
 tem quamdam prodit haec sanctio, quod factio illico, non specta-  
 ra illius quantitate moralitatis determinatam viginti quinque assium  
 mulctam statuerit. Iustitia enim distributiva est, rationem se-  
 qui geometricam, vel potius rationem ex quantitate physica facti

B. 3. i. tab. 3. 1. apud supradictum

seu



seu quantitate dāmī datī, & quantitatē mōrali seu quantitatē libertatis adlibitā & dignitatē personē lēsa, compositam. Sed hāc fuit ratio poenarum a gentibus incultis in delicta statutarum, vt facto in se spectato neglectis eius determinationib⁹ moralib⁹ p̄ennam statuerent, id quod in antiquissimarum gentium germanicarum quoque legib⁹ & variis delictorum compositionib⁹ conspicitur; quamvis haec persona lēsa dignitatē & conditionē non omnino neglexerint 34).

¶ XII.

Idem dicendum est de lege talionis, quam sequenti modo traducit FAVORINVS: "Nonnulla autem in ipsis legibus nec considerare quidem visa sunt: velut illa lex talionis, cūtis verba, nisi memoria me fallit, hæc sunt: SI MEMBRYM RUPIT, NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO. Præter enim vilescenti acerbitas, ne procedere quoque exsecutio iustæ talionis potest: nam cui membrum ab alio ruptum est, si ipsi itidem rumpere per talionem velit; quero an efficer possit rumpendi pariter membris æquilibrium: in qua re primum ea difficultas est inexplicabilis. Quid si quis membrum alteri imprudens ruperit? quod enim per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet; ictus quoque fortuitus & consultus non eadunt sub eiusdem talionis similitudinem. Quonam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in exequenda talione non licentia ius habet sed imprudentia? sed et si prudens ruperit, nequam patietur aut altius se laedi aut latius; quod cūtismodi libra aut mensura cauefi possit, non reperio. Quin etiam si quid plus crit alterius commissum, res fieri ridicula atrocitatibus, vt contraria actio mutua talionis oriatur, & adolescat infinita quedam reciprocatio talionum." Lepidum hanc dieit quamdam sollerriam verborum CAECILIVS. Sed tamen quomodo se expedit, non statim in promptu haberet, decemuiros minuere atque extinguere volu-

34) Montesqu, espr. des L. Liv. XXVII, ch. 3, tom. III, pag. 164. seqq.



isse, inquit, hūiusmodi violentiam pulsandi atque lādendi, eo quo-  
que metu coercendos esse homines putasse, neque eius, qui mem-  
brum alteri rupisset & pacisci tamen de talione redimenda noller,  
tantam esse habendam rationem, ut prudens imprudensue rupisset  
spectandum putarent, aut talionem in eo vel ad amissum aquipa-  
rarent vel in librili perpenderent, sed potius eundem animū eun-  
demque impetum in eadem parte corporis rumpendi non eundem  
quoque casum exigi voluisse. His addit: quæ, obsecro te, ista  
acerbitas est, si idem fiat in te, quod tute in alis feceris; præser-  
tim quum habeas facultatem paciscendi & non necesse sit pati talio-  
nem nisi eam tu elegeris? sed quum ipse videat CAECILIVS non  
omnem Fauorino his dictis ferupulū eximi posse, denique subiungit:  
Nolo hoc ignores, hanc ipsam quoque talionem ad estimatio-  
nem judicis redigi necessario solitam; nam si reus, qui depacisci no-  
luerat, judici talionem imperanti non parebat, estimata lite judex  
hominem pecuniaē damnabat, adeoque si reo & pactio grauis &  
acerba talio visu fuerat, seueritas legis ad pecuniaē mulctam redi-  
bat. Et hoc ultimo modo res optime ad æquitatēm naturalem re-  
ducebatur; quid enim, si aduersarius nimis duras pacti conditions  
offerret & talio ea propter exercenda esset, exinde commodi in ad-  
uersarium redundabat? Non certe damni reparatio; futura autem  
securitas & emendatio delinquentis longe mitioribus remediis quam  
turpi membrorum mutilatione obtineripotera. Prisca etiam gentes  
septentrionales illas caussarum inquisitiones, in quibus nimis toller-  
tia & animi contentio requirebatur, desugiebant, remque potius fa-  
cto vel iudicio, ut ipsis dicebatur, diuino relinquebant.

Denique in sectionem debitorum in partes ita inuehitur FA-  
VORINV: Nam de immanitate illa secundi partiendique humani  
corporis, si unus ob pecuniam débitum iudicatus addicetusque sit  
pluribus, non libet meminisse & piget dicere. Quid enim videris  
potest effteratius; quid ab hominis ingenio dierius, quam quod

mem-

"membra & artus inopis debitoris breuissimo (fauissimo) laniati  
distrahantur, sicut nunc bona venum distrahantur?" Laudat heic,  
**CAECILIVS** summam Romanorum fidem, quod clarissimos viros ho-  
stibus seruandæ fidei publice causa tradiderint, & clientes in fidem  
acceptos cariores propinguis habuerint, & hanc fidem, ait, maio-  
res tam in mutuis officiis, quam in contractibus, præseritum in credi-  
ta pecunia sanctissime obseruasse, perfidie debitorum atrocissimis  
penis statutis, ne plane admatur subsidium hoc inopie tempo-  
rariae, quo communis omnium vita indiger, si debitores sine gra-  
ui pena fidem fallere possent, & proinde acerbitatem vlciscendi ma-  
leficci bene atque caute viuendi disciplinam fuisse **CAECILIVS** asserit.  
Sed si reuera lex XII. tabularum sectionem corporis debitoris in  
partes creditoribus distribuendas sanxit, **CAECILIVS** æqualitatem inter  
atrocitatem penae & delicti minime demonstrasse, omnemque cru-  
delitatis maculam a lege decemvirali absteruisse nequaquam viderur.  
In alia omnia eunt recentiores, inque iis præcipue **BYNKERSHOECKI-**  
**VS** 35) qui sectionem corporis debitoris plane intelligendam esse  
negant, imo ipse **CAECILIVS** apud **GELLIVM** fatetur se neque legisse  
neque audiuisse, disiectum esse antiquitus ullum debitorum, quo-  
niam fieri non potuisset, ut saevitia peccata ab illo contemne-  
retur, qua in re cum eo consentiunt **QVINCTILIANVS** 36) &  
**TERTVLLIANVS**, 37) qui itidem inter veteres immannissimam  
illam debitorum carnificinam legibus XII. tabularum statutam fu-  
isse contendunt. **BYNKERSHOECKIUS** autem ineptam plane  
hanc legis interpretationem esse ait, quum haec saevita creditoris  
bus nihil utilitatis sed potius plus damni fuisset allatura, qui per-  
dendo debitorem omnem suam pecuniam amisiissent, cuius partem,  
si addicatum possiderent debitorem, illius operis lucrari potuissent.  
Si unus esset creditor, eiusque debitor in iudicio esset ad soluen-  
dum condemnatus, lege XII. tab. statutum fuit, ut ni intra tri-  
ginta dies iustos solueret, in neruo aut compedibus haberi posset.  
35) Obseru, lib. 1. c. 1. 36) Inst. lib. 3. c. 6. 37) Apolog. c. 4.

Erat autem ius interea pacificandi, ac nisi paſto inter debitorem creditoremque conuenisset, habebatur debitor in vinculis dies sexaginta; inter eos dies trinis nundinis continuis ad prætorem in comitium producebatur, quantæque pecunia iudicatus esset, prædicabatur; tertii autem nundinis capite poenas dabant aut trans Tiberim peregre venum ibat 38). Hanc capitatis poenam BYNERSHOECKIUS esse ait vſuras pecuniae in quam condemnatus erat debitor per moram non soluta; quum caput ſæpe denotet fortem, & poena vocabulum vſuras ob moram ſoluendas non raro significet & PAVLLVS 39) simpliciter loco *vſurarum nomine ponat pane nomine*. Sed hac capitatis poena etiam feruit, in quam debitor detrucebatur & qua creditori addicebarur, adeoque caput fauum ciuile amittebat, intelligi potest, vt sensus legis sit, creditorum vel ipsum ſibi retinere potuisse fauum debitorem, quo eius ex operis ſuum reciparet, vel eundem vltra Tiberim vendendi ius habuisse. Atque hoc iuriſ statutum erat lege decemuirali, si vnuſ tantum eſſet creditor, ſin vero pluribus eſſet debitor obligatus, lex ita iubebat: *Tertiis nundinis partes fecanto ſi plus minusue ſecuerint, fine fraude eſto.* Hoc eſt horrendum illud carmen, quod, vt volunt multi, creditoribus ius dedit in miseri debitoris artus ſæviendi, eumque crudeli lanatu in frusta diſsecandi. Sed quemadmodum, si vnuſ eſſet creditor, poena capitatis non denotat naturalis vita supplicium, ita nec heic, quum plures adſunt creditors, ſectio inhumanam corporis carnificinam ſed publicam debitoris venditionem infert, que niſi ita accipiamus, que vis, quis queſo ſensu verborum erit: *ſi plus minusue ſecuerint?* que ſane ſenuſ caſſa erunt, niſi per pluris minorisue venditionem ea interpretemur; vt adeo ſensus huius legis ex mente BYNERSHOEKII talis ſit: *Si plures creditors vicerint debitorem communem, præterierintque dies iuſti, nec tamen ſoluat debitor, non vni ex creditors*

C

38) Gellius lib. 20. c. 1. 39) in l. 40. D. de rebus cred. add l. 3. §. 4.

D. de vſuris &amp; l. 90. de V. O. NOODT de ſcenore &amp; vſuris lib. l. c. 3.



toribus aut quibusdam permitti, addicatum debitorem sibi retineant, vel pro lubitu, clam forte, & priuati priuatis vendant, sed ut quantum fieri potest publica estimatione satisfiat omnibus, eum esse vendendum in auctione publica ipsis nundinis; namque ita neminem suo defraudatum iri, nec quemquam alteri imputaturum, iusto minoris debitorem venisse, quum res publice sit acta. Hac explicatio inde non leue accipit robur, quod sectio sepe veteribus auctio dicatur; sic VARRO 40), ubi modos adquirendi dominii legitimis enumerat, etiam auctionis his verbis mentionem facit: *cum in bonis sectione eius publice venit, sectores quoque dicuntur redemptores bonorum apud CICERONEM 41): Idem erant sectores collorum & bonorum; PAVLLVS DIACONVS 42) sectionem commode dixit persecutio-* nem iuris. Hac interpretatione admissa ab immanitate quidem vindicatur lex XII. tabularum, manet tamen adhuc rigida ac severa pro more Romano illorum temporum, cuius severitas intuitu vineolorum a. V. CCCXVIII. legi Poetelia Papiria fuit abrogata, sanctum enim teste Liuio lib. VIII. c. 28. ne quis, nisi qui noxam meruisset donec panam lueret, in compedibus aut in neruo teneretur; pecunie credite bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Ita nexi soluti, caurumque in posterum ne neckerentur; quamvis non sit negandum, creditoribus se nexos etiam postea inopes debitores dedisse & forte etiam secundum ejusmodi conuentiones, praetores aliosque magistratus, mores potius quam leges sequentes, pronunciasse 43). Temporis autem ratione, debitoribus confessis & conuictis concedendi statutum, ut loco triginta dierum duo menses ac deinceps a Iustiniano quatuor menses 44) illis indulgerentur.

#### §. XIV.

40) de re rustica lib. II. c. 10. 41) in orat. pro Roscio Amer. cap. 29. vid. ERNESTI clav. Cicer. in vocibus *Sector & Sectio*. 42) cum Festo coniunctus in auctoribus lat. ling. pag. 430. 43) Bach. hist. iuris L. II. c. 2. §. 20. 44) 1. yn. C. Theod. de ysur. rei iud. &c. 2. C. de ysur. rei iud.

## §. XIV.

Insigne quoque est ad deformitatem legum decemuiralium caput, quo pater insignem ad deformitatem puerum cito necare jubetur 45). Equidem Solon apud Athenienses parentibus etiam ius vita & necis in liberos dedit 46): Καὶ ὁ Σόλων Ἀθηναῖος τὸν περὶ τῶν αὐγέτων νόμου ἔθετο, καθ' ὃν Φοινίκες εἰσάφορον ἐστὶ παιδαὶ ἐπέτρεψε. Quin etiam Solon Atheniensis legem de indemnatis posuit, per quam unicus filium suum interfiscere permisit. Idem testatur Hermogenes 47) Ἔνώπιον τις τῆς μητρὸς ἀπέκτενε τὸν ὑιὸν πατέρα τῶν αὐγέτων νόμον; occidit quis filium coram matre, secundum legem de indemnatis. STVRMIVS in scholiis ad hunc locum, adfert, legem fuisse, qua indemnatos prohiberet occidere, nisi in eos haberet aliquis potestatem, ut pater in liberos, dominus in seruos. Et idem placuit Aristotelei 48), ita statuente: De exponendis autem vel tollendis partibus lex esto ne quid mancum & debile alatur. Propter multitudinem autem liberorum, ne plures sint, quam expediatur, si gentium instituta & leges vetent, procreata exponi, definitum esse oportet procreandorum liberorum numerum. At Thebani ab hac crudelitate abhorruerunt 49). Romæ ex Romuli legibus non licebat parenti occidere aut exponere infantes vixum natos, præcipue masculos & ex filiabus primogenitas, nisi a vicinis quinque proximis iudicati essent debiles, monstrosi aut insignes ad deformitatem, id quod sequentibus verbis exprimit Dionysius Halicarnasi. 50): Εἰς αὐτὰς κατέβησε τὰς οἰκήσεας ἄπασαν ἀρέσκενα γενεῖν ἐκτέσσεφεν, καὶ Δυνατέσσων τὰς πρωτογονες. ἀποτελεῖνας δὲ μηδὲν τῶν γενομένων νεώτερον τριετές, πλὴν ἂντι γένειο παιδίον εἰσάπηγεν ἡ τέρας ἐνδὺς ἀπὸ γονίς. ταῦτα δὲ ἐκάλυπτεν ἐκτιθένει τὰς γενναμένες, ἐπιδέξαντας πρότερον πέντε αὐδεῖας τοῖς ἔγγισα ὅμεσον, εὖν πακείνοις

C 2

συν-

45) Tab. IV. C. I. apud Gothofredum in IV. fontibus iuris civilis. 46) Sextus Empir. Pyrrh. hypol. I. III. c. 24. 47) de inuent. I. I. c. I.

48) Lib. VII. de republ. c. 16. 49) Aelian. var. hist. lib. II. c. 7.

50) lib. II. sect. 15. vid. Franc. Baldinus ad leges Romuli c. 18; apud Ev. Ottonem in Iurisprudentia Romana &amp; Attica tom. I. pag. 47



*συνδεῖν.* Idem fere ex Lycurgi legibus Spartæ obseruabatur, nisi quod ibi infantes non in dominio parentum, sed reipublicæ essent, ac proinde de iis educandis seniores ex contribulibus iudicare deberent <sup>51)</sup>. Hanc legem Romuli, et si minus iustam & humanam, moribus tamen receptam & Græcorum institutis conformem decemuiri in suas tabulas receperunt. Sed non substîtit intra terminos lege præscriptos parentum impietas; quum enim ciues Romanii suam libertatem, quam saepe cum immoderate confundebant licentia, semper augere studerent, magnamque eius partem in arbitria dispositione de rebus suis omnibus ponerent, factum saepe ut libertate proferenda iustitiam æquitatemque ledherent. Hinc sequentium temporum mores nihil discriminis inter filios filiasque, filias primogenitas & sequiores statuerunt, & non modo infirmos & monstroflos, sed integros quoque, qui parentibus oneri futuri viderentur vel eis ob sexum, aut coningis odium, aut aliam qualecumque causam displicerent, exponi, abiicci aut necari passi sunt <sup>52)</sup>. Illique mores, quod sane est mirandum, erant sacerulis politioribus Romanorum adeo placuerunt, vt quamvis abusus nonnumquam fuerit extra ordinem punitus e. g. a TRAIANO <sup>53)</sup>, qui filium male & contra pietatem a patre adfectum emancipauit, & ab HADRIANO <sup>54)</sup> qui patrem in insulam deportari iussit, quod filium ob adulterii suspicionem in venatione *latronis magis quam patris iure interfecisset*, quum patria potestas in pietate non in atrocitate debeat confidere, quodque adeo iudicii domelfici ordinem neglexisset, tamen ante CONSTANTINVM <sup>55)</sup> & VALENTINIANVM, VALENTEM & GRATIANVM <sup>56)</sup> penitus extirpari non potuerit <sup>57)</sup>.

<sup>51)</sup> Plutarchus in Lycurgo p. m. 17. edit. B. fil. 1533. in fol. <sup>52)</sup> Noodt in Julio Paulo c. 2. <sup>53)</sup> l. vlt. D. si a parent. quis manum, fit. <sup>54)</sup> l. 5. D. ad L. Pomp. de paric. <sup>55)</sup> l. 1. C. Th. de alimentis. <sup>56)</sup> l. 8. C. ad L. Cornel. de sicariis. <sup>57)</sup> ita rem exponunt NOODT in Iulio Paullo, cap. 6. & 9. Illustr. GEBÄVER de patria potestate Diss. II. cap. 2. §. 7. & Illustr. DE SELCHOW in Antiquit. Jur. Röm. P. II. Cap. 2. sect. 2. §. 510. licet dissentiant BYNKERSHOEK in opus, de iure occidiendi

Quum leges XII. tabularum breuissimis conceptæ formulis essent, fieri non potuit, quin carum sensus variis magistratum prudenterumque, quibus aperie ab earum norma discedere non licebat, interpretationibus ad propria sua commoda inflexis sepe distorqueretur. Post XII. tabulas parum effluxerat temporis, quum a pontificibus ac patriciis actiones legis & actus legitimi plebi obtruderentur; *Legis* quidem *actiones* ad iurisdictionem contentiosam, siue quem hodie nominamus processum, pertinebant, erantque sollemnes quædam formulae, quibus ciues Romani apud magistratus in iure experirentur; *actus vero legitimi*, ad quos etiam actus voluntarie iurisdictionis spectabant, erant negotia quedam priuata certis ritibus ac formulis vel domi inter priuatos vel etiam coram magistratu auctoritatis interponenda gratia peragenda 58). Verborum sollemnitibus adeo fuerunt adstrictæ Romanorum leges, ut summum ius summa sepe euaderet iniuria, vtque ipsis legibus eludendis occasionem darent 59). In primis promissa *stipulatione*, traditionem *mancipatione* validam iure civili reddebant. *Stipulationem* ISIDORVS 60) a stipula deducit, quum veteres, quando sibi aliquid promittrebat, stipulam tenentes frangerent, quam iterum iungentes sponsiones suas ratas agnoscerre possent. Explodunt nonnulli hanc deductionem tanquam puritas Grammaticorum inepias, quum tamien veterum morum simplicitatem in hoc ritu, aliisque similibus cernere liceat. Sic HEMSTERHVISIVS 61) docet veteres vfos esse nummo quodam dimidio, cuius altera emtori, altera pars venditori cederet. Apud Lacones quoque feneratores presentibus binis testibus stipulam seu scytalam in duas partes diffrangere

Cu 3 sole-

dendi vendendi & expónendi liberos & HEINECCIVS in Antiq. Iur. Rom. lib. I. tit. 9. §. 8.

58) Illustr. DE SELCHOW in antiqui, Iur. Rom. P. I. Lib. 2. Cap. 7. S. I. §. 248. seqq. 59) Montesqu. espri. des Loix liv. XXVII. tom. 3. pag. 150. 60) orig. lib. V. c. 24. pag. 930. 61) ad POLLVCIS lib. IX. cap. 6. pag. 1041.



solebant, in quibus vtrisque pacti conditions, litteris consignatae erant, atque tum haec testibus tradi, illa vero a foeneratore retineri moris erat. Imo apud ipsos Romanos matrimonium per farreationem initum ad eundem ritum est referendum, quum eius substantia in pane farreo consistat, de quo uterque coniux comedebat 62), quemadmodum etiam apud Macedonas vsu receprum erat, siquidem Alexander nuptias cum Roxane celebrans iusse ad ferri patrio more panem (hoc erat apud Macedonas sanctissimum coenuntium pignus), quem diuisum gladio uterque libebat 63). Ad res valide in alterum transferendas praeferunt alios modos, quos hic mittimus, praecipue mancipatione utabantur veteres Romani, qui actus legimus 64) nihil aliud erat, quam sollemnibus verbis & ritu celebrata emtio venditio 65) eaque vel vera vel imaginaria, qua posterior in iis casibus, vbi proprie non suberat venditio sed gratuita translatio, adhibebatur, veluti in donationibus, ex lege Cincia 66), in emancipationibus, in testamentis per aes & libram conditis 67) erat. Traditione mediante mancipatione facta tribuebat dominium Quiritarium, & res quarum dominium mancipatione transferri solebat & debebat, mancipii seu mancipi dicebantur.

#### §. XVI.

Quum diuisio rerum in mancipi & non mancipi maxime ad mores & cultum Romanorum spectet, eidem paullisper immorabitur. ULPIANVS 68) hanc diuisiōnē ita exponit: *Omnes res aut mancipi sunt aut nec mancipi. Mancipi res sunt prædia in Italico solo, tam rustica qualis est fundus, quam urbana, qualis domus. Item iura prædiorum rusticorum veluti via, iter, aliis & aquæductus.*

Item

62) Illustr. SELCHOW in antiqui, Jur Rom. P. II. Cap. 2. Sect. I. §. 448.

63) Q. CVRT. lib. VIII. Cap. 4. 64) l. 77. D. de Reg. Iuris. 65) eam explicuerunt BRVMMER ad L. Cinciam cap. 13. BRISONIUS in antiqui, select. Lib. I. c. 7. pag. 17. & TREKELLIUS de origine testamenti factionis apud Romanos cap. III. §. 8-21. 66) BRVMMER loc. cit. 67) difficultates qua mancipationis applicationi ad testamenta moueri poterant solide resoluti TREKELL in laudato tractatu cap. III. §. 28. 68) in fragm. tit. XIX. §. 1. apud Schulting, in Iurisprud. Anteius.

Item fertur & quadrupedes, quae dorso colloue domantur, velut boves, muli, equi, asini. Ceteræ res nec mancipi sunt. Elephanti & camelii, quamvis collo dorsoue domentur, nec mancipi sunt, quia bestiarum numero sunt. VLPIANVS his verbis non generalem quamdam notam, sed exempla tantum rerum mancipi recenser, ac proinde docti viri in eo laborarunt, ut haec exempla ad genus suum & ad quam tam nationem referrent. BYNKERSHOEKIVS 69) non aliam fere distinctionis occurrere rationem, ait, quam quæ sumatur ab insigniori a & pretiosiori patrimonio Romanorum, vt res mancipi fuerint, qua nobilissimam partem diuitiarum constituebant, quales erant fundi, serui, pecudes, & id genus alia. Alii res mancipi fuissent si sunt, res bello captas, aliis res ad agriculturam pertinentes, aliis res mancipatione in alterum transferendas, aliis res in tabulas censuales referendas, aliis denique hos characteres omnes coniungunt 70). Nos existimamus in definienda rerum mancipi denominatione non solam earum qualitatem & pretium, sed simul liuera tempora, mores, opes & cultum Romanorum respici debeare. Menteriam iam huc paullum aduertit BYNKERSHOEKIVS 71), qui rationem redditurus, cur elephanti & camelii quamvis collo dorsoue domentur, rebus mancipi non accenscantur, non est contentus ratione ab VLPIANO allata: quia bestiarum numero sunt, sed inde esse opinatur, quod primi huius iuris conditores hec animalia nec uiderant, nec vsu frequentauerant, elephanti certe primum viuendo Pyrrhi ut VARRO auctor est 72) & PLINIVS 73). Posterioribus autem temporibus ex Oriente aduenti elephanti & camelii a Romanis pro illorum magnificencia operi fuerunt adhibiti 74).

Sed

69) Opusc. de rebus mancipi cap. 2. pag. 109. 70) vid. Ill. de Selchow in ant. P. II. c. 3. sect. I. §. 617. pag. 465. 71) I. c. cap. 7. p. 127. 72) de L. L. lib. VI. pag. 72. 73) lib. VIII. hist. nat. C. 6. tom. I. edit Harduin. pag. 437. 74) sed nescio an id ex lege 2. §. 2. D. ad L. Aquil. quod vult. BYNKERSHOEKIVS, probari queat, quin inscriptio doceat, eam esse ex Gali libro 7. ad edictum prouinciale desumtam



Sed quia eorum natura censebatur fera, certe mixta, addit <sup>BY N-</sup>  
 KERSHOEKIUS, permanerunt ut ante res nec mancipi, *nam p-*  
*mancipi fierent, noua lege fuisse opus.* Sed non adparet, quare no-  
 va lege opus fuisse, quum nec res mancipi aliqua lege hanc qua-  
 litatem acceperint, & quum Romani, sicut hisce etiam rebus man-  
 cipationis solemnibus adstringi voluissent, eam facile moribus in-  
 troducere potuissent. Nobiscum etiam quodammodo conspirat  
 TREKELLIUS 75), qui rerum mancipi originem ex historia &  
 veterum gentium moribus repeatit; quum nempe veteres ab initio  
 merces tantum permutarent, ac deinde metallis iisque non signa-  
 tis tanquam pretio eminenti vterentur, statutum fuit, ne in adpen-  
 dendo ære fraus committeretur, certos auctoritatem ac fide publica  
 instructos homines, qui vocati sunt libipendes, ac nonnullos quo-  
 que in rei gelse memoriam testes adhiberi. Hic mos ex Latio Ro-  
 manum commigravit, & quum Romani ante Seruui Tullii tempora  
 rudi ære essent vsi, hic rex teste PLINIO 76) primus numeros ex  
 ære Romæ signavit, quumque cundem regem complures leges de  
 contractibus tulisse DIONYSIUS HALIC. 77) perhibeat, inde  
 discriben inter res mancipi & nec mancipi modumque quo res  
 mancipi alienari debebant ab hoc rege quoque esse introductum sal-  
 tim XII. tabulas præcessisse, quum in iis mancupatio tanquam co-  
 gnitus mos occurrat, TREKELLIO videtur. Putabant nempe ve-  
 teres res maioris momenti ac pretio non debere sine aliqua sollicitudine ac  
 sollemnitate alienari. Hinc res quasdam, que pro ratione eorum tem-  
 porum erant & maximi usus & in maximo pretio, ab aliis separarunt,  
 easque vocarunt res mancipi, quia dominum earum non aliter trans-  
 ferri poterat, quam certis adhibitis sollemnitibus. Sollemnitates vero  
bas

wolp. ab ill. hic loc. non sequitur quod ipsa  
 tam ac proinde in obscuru sit, vtrum de prouinciis tantum loquatur, an  
 haec feræ Romæ etiam iumentorum operam præfisterint. Rem clarius do-  
 cet PLINIUS qui in triumphis & spectaculis adhibitas docet lib. VIII. c. 2.  
 75) loc. cit. cap. 5. §. 9. pag. 69. 76) hist. nat. lib. 33. c. 4. tom. II.  
 Pag. 601. 77) lib. IV. pag.

has imaginem retulatis ubi as rude adpendebatur, sine dubio adhibuerunt. Praetare haec TREKELLIVS, sed id nondum expeditum videtur, quare ab VLPIANO enumerata tantum rerum mancipi nomine veniant. Conicimus itaque in explicanda rerum mancipi natura non sufficere temporum antiquissimorum considerationem, sed pedem ulterius proferendum, omnemque illum temporis tractum esse spectandum, quo Romani erant pauperes ac integris moribus, quo omne Romanum imperium Italia finibus terminabatur; neendum prouincias Romani explauerant, adeoque se adhuc in omnibus negotiis aliquius momenti iuris ciuilis follementaribus rigidis adstringi patiebantur, qui tractus temporis saltim a Legibus XII. tabularum usque ad annum ab urbe condita quingentesimum extenditur, quo Romani post deuictam Italiam ac post Carthaginenses bello primo Punico superatos primam prouinciam, Siciliam, nempe, instituerunt 78). Quaecunque igitur res per hoc temporis spatium Romanis cognitae, ac usui adhiberi solitae, praecipi momenti ac pretii erant, ea fere ad res mancipi pertinuisse & mancipatione in alios translate, reliqua vero posthac cognitae & usurpari coepit, quamvis pretiosissimae ad res nec mancipi relatæ fuisse nobis videntur. Sic ea que ad rem agrariam & pecuariam pertinebant, nempe quadrupedes, que collo & dorso domantur, agri seruitutes prædiorum rusticorum, queque ad statum domesticum spectabant, domus, ferni, erant res mancipi; non autem hoc iure censebantur seruitutes prædiorum urbanorum, idque non tam ex ea ratione, quam dixit BYNKERSHOEKIVS 79), quod prædia urbana tantum per accessionem intuitu soli res mancipi fuissent videantur, adeoque iura iis inherentia non possint res mancipi esse, ne accessionis detut accessio; sed ideo, quod iura prædiorum rusticorum apud veteres & maioris momenti & antiquiora sine dubio fuerint seruitutibus prædiorum urbanorum, quum pro ratio-

D

ne

78) SIGONIVS de antiq. iure pop. Rom. tom. II. cap. 3. pag. 18. 79)  
1. c. cap. 8.



ne ædificandi vetus temporibus vix Romæ locus fuisse videatur hisce seruitibus, ut eleganter statuit TREKELLIVS 80). Accedebant demum rebus mancipi fundi Italici, non autem fundi prouinciales 81). Solebant etiam nonnunquam res sua natura non mancipi tamen mancipationis ritu maioris sollemnitatis & securitatis causa in alios transferri. Sic hereditas, quin tanquam rerum vniuersitas familie emtori mancuparetur, multas quoque res nec mancipi in se continebat; sic simaragdos & margaritas, quae tamen non erant res mancipi 82), quam admodum sero, nempe bello demum Iugurthino vniionum nomen Romæ percerebuerit 83), in mancipatum venisse, earumque ingens pretium probari mancipationum tabulis potuisse, apud PLINIVM legitur 84).

### §. XVII.

Crescentibus Romanorum opibus, eorum mores relaxabantur; & strixi iuris perferre iugum recusabant, magis ad naturalem aequitatem inclinantes. Hos itaque praetores in suis edictis sequerantur & variis interpretationis nomine inventis iurium nouis nominibus iuris civilis rigorem temperabant. CICERO 85) partem maximam iuris prætorii confuetudini tribuit: *Confuerundis autem ius esse putatur id, quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobavit;* in ea autem iura sunt quadam ipsa jacea proprie petuostatem, quo in genere & alia sunt multa & corum multo maxima pars, qua praetores edicere consuerunt. *Quedam autem genera iuris iam certa, confuetudine facta sunt;* *quod genus pactum, par, iudicatum.* Praetores in iure dicundo primum ad Leges tum ad mores populi Romani respiciebant, ubi vero nec Legibus quidquam cautum nec moribus receptum reperiebatur, ex naturali aequitate ius dicebant. RACHIVS omne Ius honorarium moribus tribuit, quum enim magistratus, ICtri & iudices non ipsi leges condere possent, omne ius ex eorum auctoritate receptum populi confuetudine valorem accipiebat 86).

### §. XVIII.

80) I. c. §. 8. n. 2. 81) THEOPHIL. paraphr ad §. 40. I. de rerum diuis  
82) SHVLTING, ad §. 2. T. XIX. fragm. Vlpiani. 83) PLIN. hist. nat.  
lib. IX. cap 35. tom. I. pag. 520. 84) ibid. 85) de Invent. lib. II. c. 22.  
86) in hist. iuris Lib. II. cap. I. §. 20. & cap. 2. sect. 6.

## §. XVIII.

Romani primis præcipue tempòribus magnis illustres fuerunt virtutibus; summus illis fuit patriæ amor, religiosus deorum cultus, maxima fortitudo, iustitia, temperantia, industria, in deuictos clementia, iurisque iurandi fides sanctissima. Laudat Romanorum fidem POLYBIUS 87: *idem apud Romanos quum & in magistratibus & in legationibus magnam pecunie vim trahent, propter unicam iuris iurandi religionem, fidem seruant*, POLYBIUS quoque hanc Romanorum in seruanda fide religionem lucebento exemplo comprobat 88). At haec excellentes virtutes non omni tempore persisterunt integre, sed maximis cum virtutis, quorum unum aliud pro temporum ratione excipiebat, fuerant commutatae.

## §. XIX. Iugis bus annulis associatis

Priscorum Romanorum, ut supra diximus, nimis rigebant mores & leges, summa rerum inter patricios plebeiosque fluctuabatur, horumque acerrimae contentiones maxima progenerarunt vitia. Patriei id agebant, ut oppressa plebe, nimioque fænore exhausta omnem dominatum ad se raperent; plebeii suis turbis id a patribus impetrarunt, ut tribanos plebis, ac comitia tributa ipsis concederent, imo lege Sextia Licinia magistratus, honoresque, lege Canuleia connubia cum patribus sunt consequuntur. Bene de his populi turbis sentit POLYBIUS 89: *mutata facie reipublicæ nomen quidem longe pulcherrimum ciuitas recipiet, libertatem inquam & popularem statum; re vero ipsa turba incondite dominatum experietur, quod malum est omnium longe gravissimum*. Damna que ex nimio fænore perpetua est Roma TACITVS 90) enarrat: *Sane verus vrbi fænere malum & seditionum discordiarumque cerebrimæ causa; eoque cobibebantur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primo duodecim tabulis 91) sanctum ne quis vnciario fæ*

<sup>87)</sup> historiarum lib. vi. pag. 498. edit. Causabon, vid. quoque Sallustius de bello Catilin, cap. 9. 88) ibid. pag. 499. 89) lib. vi. pag. 498. 499. 90) lib. vi. An. c. 16. 91) Montesquieu (Esp. des Loix liv. xxii. ch. 22.) negat Legem xii. tabb. quidquam de fænore statuisse, quem

nore amplius exerceret; cum antea ex libidine locupletium agitaretur; dein rogatione tributicia (a. V. C. ccccvi. a M. Duillio & L. Mænio tribuniis plebis perlata) ad semiuncias redacta; postremo vetita versura (lege Genucia, quam ad plebem tulit Genucius tribunus plebis a. V. C. ccccxi.) multisque plebiscitis obuiam itum fraudibus, que toies represe miras per artes rursum oriebantur. Legem Genuicam circumuenit fraus foneratorum, que vero A. V. C. DLX. detecta & abolita fuit, nempe via fraudis erat, ut in socios, qui non tenerentur iis legibus, nomina transcriberent; ita libero fænore obruebant debitores. M. Sempronius Tribunus plebis ex auctoritate patrum plebem rogauit, plebesque sciuist, ut cum sociis ac nomine Latino pecunie credite ius idem quod cum ciuibus Romanis esset 92). Si quis querit, quomodo tam mordaces vñræ apud populum, qui fere omni carebat commercio, introduci posuerint, id ille ex statu Romanorum intelliget, quo sepe propriis sumbris castra sequi & eam ob rem aë alienum contrahere debebant, quam vero plerumque res ipsi feliciter cederet & præda onusti domum redirent, debita cum magnis vñris solvere omnino poterant; quum autem aduersa vterentur fortuna, duritatem creditorem sentiebant 93). Nonnunquam leges fænecibes presentibus tantum malis medebantur, quam iuberent, eos quin omnina militia dedissent, liberos esse a creditorum scuitia, quum egenos in colonias deducerent, aut illis ex æario publico open ferrent. Quum populus Romanus verbis legum adstrictus mentem earum sepe eluderet, & mores lubentius quam leges sequeretur, hinc leges quoque fænecibes sepe fuerunt confirmanda, corrigenda aut temperanda 94).

## §. XX.

non adsit illius allegata vestigium in turbis inter debitores & creditores agitatis ac proinde Tacitum putat Legem xii. tabb. cum lege Duillia confidisse.

92) Liv. lib. XXXV. c. 7. Legum fænecibrum seriem exhibent præter alios Ger. Noödt de fænore & vñris Lib. II. c. 4. & Montesquieu I. c. 93) de qua conqueritur miles apud Liv. II. 23. 94) Montesquieu, I. c.



## §. XX.

Multas quoque turbas concitarunt leges agrariæ, quarum pri-  
mam consul Sp. Cassius a. V. C. **cclxxviii** promulgavit, auram po-  
pularem captans **95**) quæ nunquam deinde sine maximis motibus  
fuit agitata; Sextius Liciniusque tribuni plebis A. V. C. **ccclxxxv**,  
legem pertulerunt, *ne quis plus quingenta iugera agri possideret* **96**),  
cuius legis formulam lequentes agrariæ fere retinuerunt. Quam  
C. Flaminius M. Lepido Cos. aliquot ante bellum Punicum secun-  
dum annis **97**) de Gallie Cisalpinae agro, Piceno dicto, diuidendo  
fusas ac tuit legem **POLYBIUS** **98**) ait populi Romani mores præci-  
pue in deterius mutasse *ἀρχηγὸν μὲν γενέθλαι τῆς ἐπὶ τῷ Χεῖσον*  
*τῇ δημοσίᾳ φῆς*, bellique cum his gentibus caussam fuisse. Ab  
initio viris Romanæ terre adquisita videtur aequaliter fuisse ci-  
uibus diuisa, qua re non modo societas civilis in bonum ordinem  
redigebatur, sed etiam Romani efficiebantur strenui milites, quum  
æquali quisque patriæ defendendæ vinculo adstringeretur **99**). Sed  
postquam nonnullorum avaritia, vel industria, aliorumque prodi-  
galitas vel aduersa fortuna agros in diuitium manus redegerat &  
in quoque agros publicos sibi vindicauerant, his ea que semel pos-  
sidebant, nunquam sine maxima contentione extorqueri potuerunt  
**100**).

## §. XX.

Post secundum Punicum bellum Asia, Græciaque in potesta-  
rem Romanorum redactis & Carthagine sublata cum diutinis Ro-  
manis illatis simul immigrarunt luxuria & mores dissoluti, qui nulli  
legibus reprimi & extirpari potuerunt. Postquam enim ci-  
vitas

D 3

**95**) Liv. II. 41. **96**) Liv. VI. 35. **97**) Cic. Acad. quest. II. 5. **98**) hi-  
stor. lib. II. pag. 109. **99**) Montesqu. de la Grandeur & Décadence des  
Romains chap. 3, p. 20. **100**) legum agrariarum historiam vide apud  
Sicoru, de antiquo iure Italiæ lib. II. c. 2. P. II. pag. 627. seqq. & Er,  
nettii ind. legum.




uitas multis maximisque superatis periculis ad principatum & potentiam indubiam peruenit, mores in luxum nimium degenerarunt, *seuior armis luxuria incubuit*, ambitio animos hominum occupauit & reipublica perniciem attulit (101). Vedit cato Maior luxuriam vires sumere ac in oratione, qua legem Oppiam de cultu matronarum defendit, grauiter in sui saeculi mores inuectus est: *Sepe me querentem de feminarum, sepe de virorum nec de priuatorum modo sed etiam magistratum sumibus auditis; diversique duobus vitiis avaritia & luxuria ciuitatem laborare.* Hoc ego, quo melior letiorque indies fortuna reipublica imperiumque crescit: *& iam in Graciam Asiamque transcedimus omnibus libidinum illecebris repletas & regias etiam attrectamus gazas: eo plus horro ne illae magis res nos ceperint, quam nos illas.* (102). Non vanum fuit Catonis auguriū; breui enim diuītia ac vitiis vietarum nationum Romam quasi triumpho fuerunt inuecta, quæ, virtutis laborisque amore ex ciuium animis proscripto atque deleto, desidiam, mollietiam, avaritiam, ambitionem, factiones, concusionesque introduxerunt. Profusionem reprimere tentarunt leges, at irritus fuit earum conatus, quum maiores illa indies vires caperet, & leges demum silere cogeret. Sic lex Metella de fullonibus a. V. C. DXXXIV. lata, ne quid superflui sumptus in vestibus pollicendi fieret, cauit (103); lex Oppia a. DXXXIX. sanxit, *ne qua mulier plus semuncia auri haberet: ne vestimento versicolori viceretur: ne iuncto vehiculo in urbe oppidoue aut proprius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum caussa veheretur* (104). Prodigalitas morumque licentia vietum quoque Romanorum infecit (105); *IVVENALIS* de sui saeculi prodigalitate ita (106): *quibus in solo viuendi caussa palato est,* *Interea gustus elementa per omnia querunt*

Nun-

(101) Polyb. lib. VI. histor. pag. 498. Sallust. de bell. Catil. cap. 10. d' Arnay de la vie privée des Romains chap. 1. p. 11-20. (102) Liv. 34. 4. (103) Plin. XXXV, 17. tom. II. pag. 719. (104) Liv. XXXIV, 1. 105 d' Arnay l. c. chap. 3. pag. 189. seqq. (106) Sat. XI.

Nunquam animo pretiis obstantibus: interius si  
 Attendas, magis illa iuvant, que pluris emuntur.  
 Sen sim hoc malum inualuit, & ab initio statim, quum se se exsere-  
 ret, legibus aliquantulum cohibitum fuit. *Ab exercitu Asiatico luxu-*  
*rie peregrine origo in urbem erat inuecta, ii primum lectos aratos,*  
*vestem stragulam pretiosam, plagulas & alia textilia &, que tum ma-*  
*gnifica supellectilis habebantur, monopodia & abacos Romanum aduexe-  
 rent; tum psaltriae sambuci strigae & coniuialia ludorum oblectamen-  
 ta addita epulis: epule quoque ipse & cura & sumtu maiore apparari  
 copta: tum coquus vilissimum antiquis mancipium & estimatione &  
 rsi in pretio esse, & quod ministerium fuerat, ars haberit copta. vix  
 tamen illa, que tum conspiciebantur, semina erant futura luxuria 107).  
 Hae semina ne latius propullarentur, tum temporis a. DLXXXIII. lex  
*Orchia* sumtuaria lata est, qua numeros coniuuarum definitus fuit 108).  
*Fannia* lex deinde a. D XCIII. sumtibus coenarum in singulis diebus mo-  
 dum posuit & ciborum genera definiuit 109), que lex per omnem  
 Italiam ex lege *Didia* a. DCXI. valorem accepit, qua etiam coniuiae  
 penitus legis subiecti sunt 110). Lege *Aemilia* cibaria a. DCXXXIX.  
 non quidem sumtus coenarum sed genus ac modus ciborum pre-  
 fixus est 111). SYLLA a. DCLXXIII. ad dictatoris culmen euectus  
 praeter alias leges, quibus rem publicam ordinavit, etiam tulit  
 sumtuariam, quum legibus prioribus situ atque senio oblittera-  
 tis plerique in patrimonii amplis belluarentur, qua caucum est, ut  
 kalendis, idibus nonisque diebus ludorum & feriis quibusdam sollemni-  
 bus festertos tricenos in coenam insumere ius potestasque esset; ceteris  
 autem aliis diebus non amplius ternos 112); eadem legem inora pretia  
 rebus imposita 113). A. DCLXXVI. altera lex *Aemilia* cibaria su-  
 periori similis lata & paucis annis interiectis lex *Antia*, quae pre-  
 ter  
 107) Liv. XXXIX. 6. (108) Fest. voc. obsonitauere p. 347. Bach. hist. iur.  
 Lib. II. c. 2. §. 38. (109) Bach. I. c. §. 43. (110) id. §. 47. (111) id.  
 §. 58. Gell. III. 24. (112) Gell. ibid. (113) Macrob. Saturn. III. 17.  
 Bach. I. c. §. 75.*



ter sumtum aeris id etiam sanxit, ut, qui magistratus esset, magistratumque capturus esset, ne quo ad cenam nisi ad certas personas itaret 114); quam legem, licet optimam, obstinatio tamen luxuriae, nullo abrogante irritam fecit 115). *Lex sumtuaria* scribit Cicero 116), quavideatur *Λεγόντας αιτιλίσσε*, ea mibi fraudi sunt; nam dum volum iſi lauti terra nata, que lege excepta sunt, in honorem adducere, fungos, heluellas, herbas omnes ita condunt, ut nihil possit esse suauius; in eas cum incidissim in cena augurali apud Lentulum — Ita ego, qui me ostreis & muriculis facile abstinebam a beta etiam & a malua deceptus sum. Nota quoque est illis temporibus LVCULLI magnificentia, cuius epulae in cœnaculo, quod dicebatur *Apollo*, apparande, quinque myriadibus constare solebant 117). A. DCCV. IVEIUS CAESAR dictator creatus varias leges promulgavit, & in iis quoque *Iuliam sumtuariam* qua superiores sumtuarias repetit & severius sanxit 118). Sed luxus legibus fortior haec repagula fregit, quapropter CAESAR hanc legem cum severitate exercuit: dispositis circa macellum custodibus, qui obsonia contra veritum retinerent, deportarentque ad se, summissis nonnunquam lictoribus atque militibus, qui si qua custodes fecellissent, iam adposita e triclinio auferrent 119). GELLIUS 120) quoque meminit edicti ab Augusto vel Tiberio promulgati, quo per dierum varias sollemnitates a trecentis H. S. adusque duo millia sumtus cenarum propagatus est; ut his saltet finibus luxuriae effervescentis aitus coegeretur. Sed posteriorum Cæsorum tempora docuerunt, parum his legibus effectum esse.

114) Gell. l. c. 115) Bach. l. c. §. 76. 116) ad fam. lib. VII. ep. 26. & ad eam Manutius pag. 785. 117) vid. Plutarch in Lucullo, qui pag. 177. b. reliquias Luculli lautitas describit. 118) Manutius quidem l. c. negat Cæsarem sumtuariam ullam tulisse, sed recte confutatus ab Ernest. in Ind. Leg. h. L. 119) Sueton. in Cæsar. c. 43. 120) l. c. 7.

*admodum per se vniuersitatem ea g. o. XXII. 3 pag. III. 1000. in summa*

Libera republica alii quoque remedii morum corruptionem sanare Romani tentarunt. Sic quum sacra Bacchanalia cuiuscunque generis libidinem ac felicitatem inuenient, ea a. DLXVIII. SCto ex urbe & Italia proscribebantur 121). In primis *censores* morum integratari intuigilabant, qui quodcumque facinus, lege quidem expressa non notatum, quod tamen bonos mores laederet, notare solebant, in eosque qui male se gestissent ita animaduertebant, ut senatores senatu mouerent 122), equitibus adimcerent equum, & ciues e tribu honestiore in minus honestiorem vel etiam in Cæritum tabulas referrent, idem ex omni ordine morum honestate maxime conspicuos in senatum legebant, quod facere iubebantur lege *Ovinia* a. CCCII. lata 123); iidem variis edictis, quæ *leges censoriae* dicuntur, luxuriam quoque retundebant 124). Censores quoque connubia legitima, a quibus abhorrebat Romani, promouere operam dederunt 125). At censorum auctoritas valuit, quandiu corruptio morum non omnia inuaserat, hac vero inualecente, Romanisque tam vulnerum suorum quam remediiorum impatiensibus, omnis censura vis concidit & iacuit usque ad ea tempora, quibus plane nullum amplius usum praestare poterat, nempe sub imperatoribus 126); hi nimur ut censoriam potestatem exercere possent mutato nomine magistros aut praefectos morum se nominarunt. AVGUSTVS censoriam potestatem, quam sibi sumferat, ad augendum ciuium numerum adhibuit, a. DCCXXXVII. legem de maritandis ordinibus rogauit & denique a. DCCLVII. pertulit,

E

cam-

121) Liv. XXXIX. 8. seqq. 122) quod tamen lege Clodia a. DCXCV. latita restrictum, qua cautum, ne nisi legitime apud ipsos censores accusatus & damnatus nota adseretur. 123) Bach. I. c. §. 15. 124) Plin. lib. VIII. c. 57. n. 82. tom. I. pag. 494. & lib. XXXVI. cap. I. n. 2. tom. II. pag. 723. 125) Liv. XLV. 15. & epitomi. lib. LIX. GELL. I. 6. Ill. Selchow ant. 5. 476. 126) MONTESQV. espr. des Loix liv. VIII. ch. 14.



eamque a. DCCLXII. lege Papia Poppaea diligentius ac feuerius  
muniuit 127).

### §. XXIII.

Corruptio morum Romæ omnia peruerit. Iusurandum,  
quod olim tanta religione seruabatur, negligi ceptum:  
Tam facile & prouum est superos contemnere testes,  
Si mortalis idem nemo sciat 128);  
fides data falli confusa:

Quantum quisque sua nummorum seruat in arca  
Tantum habet & fidei 129) hereditates non ob bene merita sed sape ob scelerum ministeria  
delatae 130), ut proinde PLINII ætate vulgo cederentur *testamenta hominum speculum esse morum* 131) hereditates fraude, adulatione aliquis artibus quesita 132), infidiae testatoribus ab here-  
dibus structæ, & proinde successio paetitia, tanquam *bonis moribus contraria* prohibita 133) [quum potius mali mores, quibus laborabant Romani hec paetitia, in se innocua, suspecta redderent.] Magistratum honores a candidatis largitione, humili obsequio  
aliisque artibus petiti, quamvis ambitus coercendi causa late fuerint leges *Pinaria* a. DCCXXII; *Poetelia* a. CCCXCVI; *Cornelia Baenia* a. DLXXXIII; alia quedam a. DXCV. *Maria* a. DCXXXV; *Calpurnia* a. DCLXXXVII; *Tullia* a. DCXCI, & *Pompeia* a. DCCII. 135). CICERO 136) exhibet contractum a candidato consulatus C. Memmio & eius competitoro Domitio cum consulibus initum, in quo nil nisi fraus & mala fides omnium, qui contractum  
inter-

127) quam singulari libro exhibuit & Commentario illustravit HEINEC-  
CIVS 128) *Iuuenal.* Sat. 13. 129) id sat. 3. 130) id sat. 1.  
131) lib. III. ep. 18. 132) *Horat.* Sat. II. 5. 45. LEYSER med. ad *π.*  
Spec. 375. 133) I. 19. & l. fin. C de paet. l. 3. §. 2. D. pro foc.  
134) Liv. IV. 25. 135) Bach. hist. lib. II. c. 2. 136) ad Attic. lib.  
IV. ep. 18.



intererant, conspicitur. In iudiciis partium fauor magis, quam  
causae iustitia obseruata; hinc *Gracchus* a. DCXXXII iudicia a se-  
natu ad equites transtulit, *Seruilius Cepio* a. DCXLVIII, lege effi-  
cere tentauit, vt iudicia senatui & equitibus essent communia,  
*Seruilius Glaucia* a. DCLIV, ea equitibus reddidit, quae vero duæ  
leges an perlatae sint, non plane constat, *Plautius* a. DCLXV. iu-  
dicia cum senatu & ordine equestri communicauit, *Sulla* eadem  
senatoribus reddidit, *Aurelius Cotta* a. DCLXXXIV. ea senatori-  
bus equitibus ac tribunis ærariis dedit, quibus postremis *Cæsar*  
iudicia iterum admetit 137); quoisque Roma sua instituta con-  
seruauit, iudicia sine detrimento in manu senatorum vel aliorum  
esse poterant, sed his semel corruptis, vndique periculum im-  
minebat. A magistratibus prouincialibus prouincia expilata &  
quocunque avaritia ac libidinis genus exercitum fuit, horum  
itaque rapacitatem *Calpurnia* a. DCV. repressit, & *Cæsar* in  
primo consulatu a. DCXCV, vetuit magistratibus prouincialibus  
& iis, qui munus publicum exercebant, officii munerisue exer-  
cendi causa quidquam præter id, quod in ea lege statutum erat,  
accipere 138). Sic legum saluberrimarum sanctiones sensim  
morum impotentiae, qua demum ipsam rempublicam perdidit,  
cedere coactæ sunt, vt adeo recte conqueratur *Horatius* 139):

Damnosa quid non imminuit dies?

Aetas parentum peior auis tulit

Nos nequieres mox daturos

Progeniem vitiosiorem.

137) Bach. I. c.

137) id. ibid.

139) Carm. III. 6.



nobilissimo ac doctissimo  
respondenti

AMICO SVO SVAVISSIMO

S. P. D.

PRAESES.

**E**x quo te mihi, quasdam Philosophia & Iuris partes in praelectionibus explicanti, adiunxisti auditorem & comitem, in maximam me *tui* admirationem & amorem facile adduxisti. Tantopere enim enituit *tui* ingenii humanioribus quibuscumque disciplinis politissimi vis, tamque promptum *tuum* fuit studium, ut non discere sed recordari videreris. Nunc eximiorum profectuum *tuorum*, quos sape priuatim demonstrasti, publicum edis specimen, quod maximam *tibi* laudem maximumque omnium favorem conciliaturum esse, certus confido. Ita igitur doctrina instrutus maximam ex *Academia Lipsiensi*, quam nunc aditus es, virilitatem & praestantissimum eruditio[n]is thesaurum reportabis, & Patria, res litteraria, splendidaque *tua* Familia, non nisi optima ab te exspectare poterunt, tu vero omnium exspectationem non explebis modo, sed etiam superaberis. *Summum Numen te, tuam* letudinem, *tuasque* res omnes saluas conseruet. Me interim, cuius sincerum amorem nunquam non experieris, amare perge. Vale. Erfordiae Kal. Octobr. MDCCLXVI.



ERFURT, Diss., 1761/67

SS.

ULB Halle  
004 995 333

3



VDR8



B.I.G.

Black

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



1766, 1  
20

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

MORVM AD LEGES ROMANAS  
HABITV AC RELATIONE,

QVAM

MAGNIFICO VNIVERSITATIS RECTORE

PRAENOBILISS. AC CONSULTISSIMO

DN. RVDOLPHO CHRISTOPH.  
HENNE IC<sup>TO</sup>,

CVLTATIS IVRIDICAE ET IVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSES-  
SORE, AC IVRIS FEVDALIS ET CODICIS PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO,

ANNVENTE ILLVSTRI ICTORVM ORDINE,  
PRAESENTE

HERMANNO ERNSTO RVMPPEL

I. V. D. ET PROF. PVBL. NEC NON GYMN. SEN. DIRECTORE,  
MPER. ACADEMIAE NAT. CVR. SOC ET BIBLIOTHECAR. AC ELECTOR.  
MOGVNT. ACAD. SCIENT. AB EPISTOLIS

IN PERANTIQVA HIERANA

D, II. OCTOBR. MDCLXVI.

H. L. Q. C. PVBLICE TVEBITVR

ADAMVS FRIDERICVS CHRISTIANVS REINHARDT  
ERFVRTENS. I. V. CVLTOR.

ERFORDIAE, TYPIS NONNIANIS, ACAD. TYPOGR.